

P R A E F A T I O

ad typis exscribendum traditum est operis. Praeterea multis corrupta est vitiis; imprimis vero per saepe confusio est facta inter *μὴν* et *μὲν*, inter *δὴ* et *δὲ*; verba quoque exciderunt, veluti III, 3, 8 *ἔτε ἵππων*. Hanc ut inspicerem, factum est liberalitate Henkii Prof. apud Helmostadienses Celeb. Eadem postea editio repetita est cum omnibus vitiis ibid. anno 89: accessit tantum nova epistola Caselii ad eundem Hermelingium. Hanc ex bibliotheca Goettingensi mecum perbenigne communicauerat Ill. Heynius. Omnium optime autem de his Commentariis meritus est *Io. Aug. Ernesti*, Vir nunquam satis a me laudandus, qui quinques edidit. Palmam superioribus facile eripit vltima, quae Lipsiae 1772 prodiit. Nam in hac non modo vitia operarum fere omnia sublata sunt, quae in superioribus casu erant repetita ex Caseliana, sed et ad fidem librorum editorum scriptorumque, de quibus ipse in praefatione, quam infra adiungendam putavi, exposuit, textum diligentius recensuit, emendauit notisque illustrauit egregiis. Ernestinae editiones singulae quoque recusae sunt Oxonii opera *Boltoni Simsoni*, additis notis selectis Stephani, Leonclauui, Porti suisque. In quarta sub calcem libri accesserunt paucae notulae anonymi, quae in quinta superiori anno edita auctae sunt alius anonymi notis; quid de illis equidem statuam, ad sua loca dixi. Vltimam illam vsurpauit, quam non sine multis sumtibus ex Anglia apportandam curaueram. Superiori anno etiam in his terris duplex prodiit editio, altera Gothae studio *Strothii* V. C. altera Halae Saxonum diligentia *Schützii* V. C. Vtriusque Viri consiliū fuit tironibus pauperioribus parabiliorem curare editionem. Posterior illa est satis correctā, et textus eius multis in locis est emendatior. Huius consensum dissensumue cum meis rationibus quo minus ante librum quartum commemorarem; factum est ex eo, quod casu quodam, quem hic narrare nihil attinet, serius illam nactus eram. De Hindeburgii V. C., quem saepe in meas partes aduocatum